Nobilissimo clarissimoq. viro D.
Constantino Hugenio, Zulichemi Dno &c.
Caspar Barlaeus S.P.D.

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Qui has tibi literas tradet, Hugeni nobilissime, vis scire quis
sit? nondum dicam. ubi natus? ubi morimur omnes. sub quo
sidere? Jove opinor. à quibus educatus? Apolline, Musis, Gratiis.
quibus nutricibus? comitate & elegantia. quo lacte? virtutis,
doctrinae, leporum. quo gymnasio? bonae mentis. quo seculo?
cuius meminit Apocalypsis. quibus Imperatoribus? ignorantia,
ambitione, avaritia. quibus Pontificibus? credulitate,
superstitione, hypocrisi. qua aera? anno à Moriae nata=
libus inobservabili. ubi habitet? ubi non Vitzliputzli, Mexi=
canorum deus, sed nummus pro idolo est. ad quod flumen?
ubi delicatuli excrementa sua comedunt in anguillis. ad
quod insigne? aratri, sed cui nullus insudavit bos. Vis
& scire, quid agat? favet bonis. quid non agat? nulli
maledicit. quid sit? Legatus meus à latere. quid non sit?
pater. quid amet? libertatem. quid non amet? aulam. quid
calleat? sorte sua esse contentus. quid nesciat? fallere.
quid optet? pluribus prodesse. quid metuat? amicorum
offensam. quando doleat? cum gaudent improbi. quando
gaudeat? cum non dolent probi. quot calleat linguas? unam.
quam? simplicitatis & candoris. quas oderit? adulatoriam
& pugillatoriam.. quae illi deliciae? Graecorum & Romanorum
reliquiae. quid novissime amet? antiquissima. quid in his
miretur maxime? artem. qualis sit in foro? minus
credulus. qualis in templo? cum ratione. in conviviis?
officiosissimus. in fundendis poculis? largus. bibendis? parcus.
in cubili? nescio. Vis et scire, quam mercaturam exer=
ceat? lucrandi bonos. quid numeret? humanitatis officia.
quid pendeat? beneficium acceptum. quid aestimet? vir=
tutes tuas. quo se pede metiatur? suo. quo sit
vultu? ingenuo. quo supercilio? nullo. qua fronte?
explicata. quibus oculis? probis. quo pectore? aperto.
quali incessu? modesto. quo habitu? quo ornati

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 102
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1336

Achivi invidebant. quid illi dederim in mandatis? ut silentio meo diuturniori impetrent apud te veniam: è Brabantia et castris reduci gratulentur; Sis anni auspicijs tibi familiaeque tuae benè precentur: & denique me tanquam sub hasta venditum, aut si mavis sub iugum missum, aeternis tibi officijs mancipent. Vis scire, quis sit. Jam dicam. Wickefortius est.

Vale amicorum spectatissime, & coniugem liberosque saluta. Raptim è Musaeo nostro, VII Id. Januar. CIƆIƆCXXXVI. in urbe magna.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 102
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1336

Nobilissimo, amplissimo
clarissimoque viro D. Constan=
=tino Hugenio Eq. Zulichemi
Domino, et Illustrissimo Principi
à secretis.

Hagam.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 102
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1336